

# AD SERENISSIMVM

ATQVE INVICTISSIMVM HEN-

RICVM BRITANNIÆ REGEM, ANTONIVS MVSÆ

BRASAVOLVS MEDICVS FERRARIENSIS.



ANC NOSTRAM LVCUBRATIONEM, QVAM  
liscunq; ea sit, Serenissime, atque Invictissime Rex, tuæ  
maiestati non uti pulchram, aut ornatam, aut te tanto  
rege dignam offerimus, necq; quod ex ea decus aliquod  
fastigio regio accessurum speremus: id enim de nostro  
tam exili ingenio, de nostrisq; tñ tenuibus viribus pol-  
liceri non audemus: sed ut his tam magnis laboribus,  
his tam longis uigilijs celeberrimo tuo numini dicatis,  
quod iure optimo literati omnes colunt, ueneratur, atq;  
suspiciunt, gratiam aliquam, ac patrocinium aucupemur. Vnde enim gentium ma-  
iorem nancisci poterunt autoritatem, aut plus splendoris adipisci, quam ab eo qui  
amplissimo uirtutu fastigio inter mortales, ut sol inter astra, omnes excellit? Nam  
quis in re literaria HENRICVM serenissimum regem atq; invictissimum æquare  
potest: qui inter Græcos atticissimus est, inter Latinos facudissimus. Nullæ etenim  
sunt liberales disciplinæ, quas ad unguem propè non perdidicerit: & ita perdidice-  
rit, ut in unaquaq; sola laborasse videatur. nam si disciplinas omnes singulatim in  
illo contemplor: mirum in modum græmaticæ uarietates tenet, rhetoricae flosculos  
quasi apis undecūq; collegit, poetarū uireta amoenissima penetrauit, sinuosos diale-  
cticas gyros, & obliquos Mæandros excusit, philosophiaæ sacraria perlustrat, geo-  
metriæ figuræ callet, arithmeticæ numeros peruestigavit, musicæ suavitates omnes  
exhaustit, ut tanta felicitas ingenij nullam præstantissimarum disciplinarum inta-  
ctam reliquerit: potissimum vero in eam partem philosophiaæ incubuerit, quæ ad  
rei Medicæ theoriam spectat. Etenim fere Britannorum regibus peculiare semper  
fuit, huic philosophica medendi peritia in primis fauere. Quin & ab Italîs quan-  
doq; harum rerum initia petiere. Extat uulgatus Salernitarum De tuenda ualetu-  
dine libellus, in regis Angliæ honorem atque decus æditus, cuius initium est,  
Anglorum Regi scribit schola tota Salerni.

libellus quidem qui politiores literas non redoleat, tamen his qui legunt non pa-  
rum utilitatis præstat: illisq; multo maiorem, qui libelli præcepta obseruant. In uir-  
tutibus autem moralibus clementissime Rex, cui es secundus? Necq; enim solo no-  
mine ac titulo tenus regem agis: nempe constantia Scæuolam uincis, magnitudine  
animi Catonem, pietate Numam, in agendârum terum dexteritate ac prudentia  
Nestorem. De tua illa integra ac inuiolata fide quid dicam: de tua pura simplicita-  
te, de tua sapientia atq; magnanimitate? Certe nullus est, aut prioribus seculis fuit  
tam omni uirtute exaggeratus, qui cum HENRICO Rege aut conferri possit, aut  
exæquari: tantu abest, ut quispiam possit præferri. Prætereo uolens ampliat tanti  
Regis munificentiam & liberalitatem, quæ in ipso adeo splendida est atq; prolixia,  
ut optimos quoq; viros & literarū cultores in primis summis honoribus decoret;

& maximis præmijs inuitet, atq; alliciat. Nullus est tam eminens, aut pusillus, qui à liberalissimo Rege non amplis muneribus ornatū se ambitiose prædicet, quæ Rex sapientissimus, idemq; omnibus fortuna bonis præpotens cunctis pro ingenij ac uirtutis modulo dimetitur ac dispensat. In his autem bonis, quæ à philosophis naturæ bona dicuntur, serenissimum HENRICVM laudare non ausim: nempe si præstantem illam corporis symmetriā intueor, si egregiam & plenam regiæ dignitatis formam contemplor, & illa ad naturæ normam ducta lineamenta, quæ recta sint, quæ honesta, quæ decora, uenerabilis me quidam horror incessit: nec hominem, sed heroem planè mihi uideor intueri, in quo multum diuinitatis effulget. Quid uero de Britannia antiqua auorum patria, cui præces, cui imperas, aggredi incipiam, quæ & diues opum est, & studijs (ut ille inquit) asperima belli, inter Septentrionem Occidentemq; projecta grandi angulo (Mela teste) Rheni ostia prospicit: deinde obliqua retrò latera abstrahit, altero Galliam, altero Germaniam spectans. Tum rursus perpetuo margine directi litoris ab tergore abducta iterum se in diuersos angulos cuneat triquetra, & (ut inquiunt authores) Sicilia maxime similis: sed multo ipsa dignior, cui uel propter amplitudinem, uel rerum omnium optimarum ubertatem, Sicilia ipsa comparetur, plana, ingens, fecunda, fert nemora, saltus, ac prægrādia flumina, alternis motibus, modo in pelagus, modo retrò fluenter. Quis geminas & margaritas enumaret: ex quibus Iulij Cæsar is thoracem consutum præstantes authores prodidere. Hæc est serenissime Rex tua inclita patria, & amplissima illa prouincia, quam possides, & quā antiquiores præ magnitudine & separatione à continentis, & quia sub alio uideatur esse cœlo, nouum quendam orbem esse existimarent: unde & à poetarum parente Virgilio decantatum est, Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Imo recentiores quidam, eam extra hunc orbem futuram testati sunt, nisi cœlestis tauri pes extra signiferum circulum prodiret, quo etiam nobilissima hæc insula uix attingitur. Sed hi & mundi situm ac positurā, & signorum dispositiones in cœlesti ambitu, atq; productiones ignorant. Nam pes hic tauri citra primum cancri gradum prodire non potest, quum uero cancer Britaniam non attingat, pes ille quem fingunt hi authores, uel fabulantur, minus attinget. Solinus hæc dicit, Gallici litoris ora uidebantur mundi fines, nisi Britanía insula nomen penè orbis alterius merebatur, octingentis & amplius millibus passuum longa porrigitur: in qua etiā nullum esse anguem testantur authores, sed miti lapidis feracissima, quem Gagatem nūcupant: is enim in aqua ardet, oleo restinguatur. HENRICVS dignus equidem princeps est, ut huic orbi dominetur: dignior, ut ampliori: dignissimus, ut uniuerso. O quot bellicosissimis populis, atque ditissimis imperat. Ex hac enim insula, & ex hoc ferè altero orbe multi robustissimi uiri prodeunt, & multa humano usui necessaria, per totam Asiam, Africam atq; Europam deferruntur, tam est fortunæ bonis abundans & copiosa. Sed quid opus est nos ea laudare, & eorum Encomio fatigari, quæ amplissima fama per hominum ora uagantur, quorum neq; sexcentesimam partem attingere posse confidimus. Horum igitur copia obruti, huic nūcupatoriæ epistolæ finem facere decreuimus, Inuictissimæ Celsitudini tuæ sponte promittentes, multo maiora in suam gratiam ædituros, si hæc non dicam placuisse, sed certe non displicuisse, nouerimus. Vale.

